



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

54 Abiud Zorobabelis Filius. Genethliacon.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

Dura molliunt calentes preces.

Exurgit jam Templum, luculentius quo lentius,

E parietinis vivunt parietes; ut è cadavere corpus.

Numquam graviore lapides sensit Tartarus!

Nam pondere expenso, insidentem agnovit Deum.

Sic ævum rursura molitio, quadriennio coronatur.

Satage ô piget,

Dum calet divinus favor, opus matura,

Brevius mora æterna tollit.

Functi demum labore, festivos eunt in plausus;

Et nova vox Alleluja circumsonat.

Nimirum voluptatum summa est, Deum recepisse,

Qui sui hospitis hospes, domum implet ac Fabrum.

Templo absoluto,

Diu vixit, nihil egit Zorobabel.

Minora agere noluit, majora non potuit.

Nam satis egit, qui Deum recepit.

## ABIUD

ZOROBABELIS FILIUS.

GENETHLIACON.

Nasce te fortunatissime Abiud.

Omnes tecum opportunitates nascuntur.

Primus extra Babylonem nasceris;

Ut Messia nobilitatem restituas,

Nato Templo nasceris; prima votorum materia.

O quam locatur Numini Domus.

Pius Genitor lapides dicavit, Liberos recipit;

Verus Deucalion ex lapidibus Prolem.

Nascere Herolim sanguis; tecum Patria nascetur.

Jacuit ad hunc usque diem Hierosolyma:

Et Dei hospites hospitio carere.

Redditi erant Patria civis, non civibus Patria.

Qui post exillum exules, domicilium habebant, non domum.

Nasceret felix civis; nascitur tecum Neemias,

Qui auspice Artaxerxe, verè Longimano, quia munifico,

Novam Hierosolymam dabit.

Fremunt Samaritæ, nascentibus muris mortem minati.

H a

Iust-



Instabitis nihilominus audaces Fabri,  
 Trullâ & gladio utrinque districto,  
 Ut sacram operam altera peragat manus, altera protegat,  
 Cadent invidi surgente muro;  
 Suo sanguine Cæmentum maceraturi.  
 Ut miraculo sit, Civitas pacis bello nata,  
 Nascere felicissimè puer.  
 Videbis prodigium annuâ memoriâ celebrandum,  
 Cum lustrante Urbem Neemia,  
 Et abditam sanctuarii flammam indicante,  
 Aqua pro igni reperta:  
 Quâ resperfi atæ lapides sponte flagrarunt.  
 Gemino itaque miraculo,  
 Ignis Filia lympha inimicum Patrem genuit,  
 In bellicæ præsagium gloria.  
 Ex adversario clarescentis.  
 Nascere Musarum voluptas, quæ tecum renascuntur,  
 Nam divinus scribâ Esdra, oblitteratas restituet literas,  
 Prodi ergo in lucem fortunatissime Abiud,  
 De tuâ famâ securus.  
 Felix qui sæculo nascitur scriptoribus facto.

---

**ESDRA**

EX LEVI.

ADMIRANDA.

Audi & mirare, Viator.  
 Hic est ille Cœlestis Chitogogus Esdra,  
 Legum peritus, & lator.  
 Qui de suo Marte Astræam tertis redonavit,  
 Nam de mentis thesauro,  
 Adamantinæ memoriæ commissum Pentateuchum de-  
 promens,  
 Jus divinum repôsuit.  
 Perierant Mosis commentaria, pereunte Urbe,  
 Immò perierat Moses apud immemores,  
 Quin suæ originis oblitus Orbis.  
 Aut semper sibi natus videbatur, aut numquam.  
 Tanto itaque reparatore Heroum gesta revixere.  
 Et ipse revixit Mundus, dum suos legit natales.

Hic